

lūm quantitate debita, sed tempore etiam & loco conueniente, vbi & quādo oportet. Nihil horum factum: quia nemo neque tempus, neque modum, neque quantitatem ordinauit, omnia confusè administrata sunt, ita vt balnea etiam, quæ ad humectandum corpus post febrim, & exiccationem factam, ordinaueram, nō rectè exhibita sint: subito postea exposuit se aeri, & frigora perpeffus est, post quæ in catarrhum incidit longè grauiorem, sicut fit etiam in senibus, vt si ex locis calidioribus vel balneis subito egrediantur in aerem frigidiorum, aut se exponant vento, semel atque iterum, vt corripiantur à catarrho. Dum igitur sua quadam calamitate (breuiter enim ea, cum ante iam sint nota vestræ excellentiæ, sufficit tangere) in carcere variè est afflictus corpore & animo, incidit in morbos grauisimos, à quibus pessimè curatus, tandem venit ad præsentem dispositionem deterimam, secundum omnem considerationem. Triam enim membra præcipua seu loca principalia affecta sunt valde, vt non possint amplius vel vterius lædi, animalis facultas planè prostrata, ita vt non possit se amplius mouere aut erigere, cogitur propter virtutem voluntariè motiuam extremè debilitatam: virtus etiam intrinseca cerebri naturalis læsa est, non amplius conficit alimentum proprium, nec excernit excrementa, quæ multiplicata locum magis debilitant, & faciunt vt plura excrementa ab aliis membris eò deferantur, quæ cum nec dissentur à virtute, nec concoquantur, perpetuò descendit catarrhus, & ad pessimum locum, ad pectus scilicet & pulmones: qui enim per nares descendit, facilius curatur: qui ad fauces, medio loco se habet: qui ad pulmones, pessimus est, quia inuenit vias communes & latas, & cum ad pectus peruenit, tussim excitat perpetuam: & quia est in loco calidior, facillimè putrescit: ideo etiam hinc expuitur materia putrida & saniosa. In corde, non dico in humoribus aut spiritibus, sed in ipsa cordis substantia intemperies est calida & sicca: habemus enim hecticam febrem in habitu, quæ est quando cordis substantia patitur intemperiem calidam & siccam, ideo pessimè dispositum est, quia calor naturalis & spiritus non possunt esse boni, cum cor, quod est fundamentum & principium caloris innati est supercalefactum, & tabescit ob intemperiem intensè calidam & siccam. Hepar etiam & membra naturalia malè affecta non concoquant alimentum, nec expellant excrementa, ideo abundant materia putrida, quia plurima excrementa generantur tam in prima quam secunda cōctione. Hepar loco sanguinis bilem generat, ventriculus loco chyli pituitam: hanc ob causam excrementa foetida sunt, & putrent, nec alitur corpus, sed tabescit, & fit siccitas illa in membris solidis, & est ἀσποφία ob defectum alimenti idonei, & imbecillitatem virtutis naturalis, ita vt à capite vsque ad pedes, non est inuenta in eo sanitas, & cum architectus sit deficiens, secundum omnem partem corporis, quid nos agemus? Sed accessit aliud: si catarrhus solus descenderet ad pectus & ventericulum, & esset imbecillitas tanta omnium virtutum, adhuc superesset spes aliqua, sed accedunt duo alia sæuissima:

A ista febris hectica videtur excedere gradū, qui curari possit, videtur exiccata omnis humiditas nutriens, & hectica iam inuasisse ipsum glutē, vt vocat Auic. & mēbra solida, quod apparet ex caliditate & ariditate cutis: itē quod videtur sicuti puluis apprensus supra carnē, & cum fuerit musculosus & pinguis, beneque cōpactæ carnis, nūc omnia sunt absumpta, & vix ossibus hæret. Accedit aliud horrendum prorsus: habemus plura indicia, non tantum putrescere catarrhum in pectore, sed adesse vlcus pulmonis, idque ex pluribus suspicionibus metuo. Primò certi sumus, quod accepit illos syrupum cum vitriolo, cuius proprium est erodendo interficere, & vidimus alios qui ab eodē syrupos istos acceperunt, & subito inciderunt in tabē. Secundò aliud signum est longè firmitus, subito post exhibitionem syruporum, incidit in in sputū sanguinis, quia facta est arrosio in venis & vlcus. Tertio quædam sputa ita foetida & purulenta sunt, vt moueant maximam suspicionem vlcus, sed non habeo id pro comperto: nō enim sunt demonstrationes, sed coniecturæ rationales, quæ faciunt suspicionem: non tamē affirmo id, de quo non sum certus, vtinā nō sit, sed dubito ne ad sit. Hic est casus qui breuiter recitari potest, sed nō tā cito curari.

*De prognostico.* Quomodo possum prognosticare bonum, vbi nullum est bonum, & virtutes regitiuæ omnia corruptè faciunt? Medicus minister naturæ est, quæ non hinc concoquit cibum: quomodo igitur dirigeret instrumēta Medici, & medicinas? Hoc signum maximum non posse curari, quia natura non dirigit propter virtutem motuam. Frustranea igitur erit omnis operatio: sed quia regros amicos nostros, & vita dignos viros non debemus relinquere, dicam quid facerem, si fortè inueniretur via curandi, quia Deus etiā in difficillimis inuenitur, & nos non possumus exquisitè scire gradum morbi, cum non certò agnoscamus temperaturam, vt Gal. 3. Meth. ait se, si temperaturam exactè nosset, fore Aesculapiū quendam. Fortassis morbus erit in eo termino, quem nos non suspicamur, cum & Hippocrates dicat, non esse certas prædictiones in acutis de salute & morte, quod varia in iis præter spem contingere possint, non igitur est derelinquendus.

*Cura.* Sed quæ velis remedia adhiberi? Natura morbi indicat, quid agendum: membra debilia, oportet vt confortentur, & quoquo modo id fieri possit: & quia repleta pessimis humoribus, illi prius euacuandi. cerebrum destillat perpetuò, est igitur euacuandum & confortandum. Euacuandum cum his quæ diuertunt ab opposito, & trahunt extra cutem, hoc faciendum cum his quæ possunt inducere vesicas, in quibus ita confidit Galen. in 5. Meth. vt his solis catarrhos grauisimos posse curari affirmet, quia duo faciunt, quibus maximè indigemus ad nostrum propositū: euacuant extrahendo, & calefaciunt cerebrum, vt melius possit concoquere alimētum propriū, & excernere excrementa. Sed quia hic iuuenis malè fortunatus, aduerso fato regitur, vsus est pessimo instrumēto, idque multò peius applicauit: excitauit enim vesicas, & permisit iterū exiccari. Et ita repetebat vesicas aliquoties, nec tamen vt oportet-